

6
194

fuerint pro qua quantitate pecunie seu virtualium, nec non et
que ad credenciam procuranda commiseris, ubi et quibus, item
nomina tenarum castorum casalium et bonorum omnium stabi-
lium, cuius fuerint, et valorem annuum eorundem, que ad manus curie
nostre infra tempus tui officii deveniant vel devenire contigerit, par-
ticulariter et distincte, ut in registris tam camere quam rationalium
registrentur, similiter per quatuordecim sub sigillo tuo eisdem camere
et magistris rationalibus debeas nunciare. Capitula vero, que tan-
gunt pecuniam et virtualia et res mobiles seseque moventes ca-
stra et possessiones et quelibet alia stabilia ac dubia omnia super
hiis emergentia tibi, ut omnia ea in dictis registris diligentissime
annotentur, supradictis camere et magistris rationalibus distincte
sub sigillo tuo nuncies vel rescribas, et de predictis omnibus, quotiens
te significare contigerit, requiras et recipias per curiam et magi-
stros rationales sub sigillo nostri culminis responsales tempore tui
maioris presentandas, ut hactenus retroactis temporibus extitit
observatum. Mandamus etiam, ut vassella omnia, que per partes
maritimas iurisdictionis tue naufragium pati contigerit, cum re-
bus omnibus eiusdem naufragii, thesauros etiam et omnes res
singulas inventicias, prout hactenus in regno extitit consuetum,
capere et pro parte nostre curie habere procurares. Mandamus prete-
rea, quatinus balium filiorum comitum et baronum, quos tempo-
re obitus patrum eorum in minori etate constitutos te invenire
contigerit, post mortem comitis seu baronis recipias et ammini-
strare procures, adhibito tibi uno de consanguineis comitis vel
baronis mortui magis idoneo, et de bonis omnibus tam stabilibus
quam mobilibus pupillorum ipsorum facias fieri tria publica
consimilia inventaria, quorum unum peres te retineas alium

[20]

[21]

[22]